



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

III. De Ministro, suscipiente, deque effectibus Confirmationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

6. *Cæremonias huius Sacramenti exprime.* Iure optimo in eius materia tum consecranda, tum in ipso conferendo tot adhibentur cæremonia. Primò enim oleum separatim Episcopus benedicit & balsamum. Deinde super os ampullæ id continentis vnà cum duodecim Sacerdotibushalat; inde postquam admiscuit balsamo, reuerenter salutat. Cùm verò conferendum est, Episcopo sacris vestibus induto, in Ecclesia, vel alio decenti loco, susceptor confirmati adsit oportet; qui distinctus esse debet ab eo, qui in Baptismo suscepit. Tunc variæ dicuntur preces, & confirmandus inungitur in fronte, quo facto linea vitæ adstringitur, ne Chrisma defluat; & alapam accipit. *Quare?* Alij dixerint ob Sacramenti suscepti memoriam. Ego, vt intelligat se contra verbera pro Christo patientia armandum, quam quidem sustinentiam Confirmationis Sacramentum specialiter operatur.

§. 2.  
Ritus  
Confir-  
matio-  
nis.

CAPVT III.

De Ministro suscipiente, de effectibusque Confirmationis.

7. **M**inistrum Confirmationis assigna. Ordinarius Minister necessariò est Episcopus. Ex Papæ singulari concessione Sacerdos, non autem eo inferior.

§. 1.  
Minister  
Confir-  
matio-  
nis.

8. *Si Minister sit hæreticus, aut excommunicatus?* Profectò eius administrationem neque hæresis, nec vlla censura, reddit inualidam.

9. *Obligaciones huiusce Ministri aperias.* Triplici ille obligatione illigatur. Prima est, vt aliquoties hoc Sacramentum administret. Alioquin ex negligentia omittens Episcopus lethaliter peccat. Secunda, vt conferat validè, & licitè: Quod si bis conferat, grauiter delinquit, non tamen incurrit irregularitatem; quia nullo in iure expressa inuenitur. Tertia denique, vt dignè, se videlicet ad gratiam præparando, vtendo nouo Chrismate, celebrando cum debita solemnitate, personâsque sibi subditas tantùm in sua confirmando diocesani.

10. *Quisnam suscipit Confirmationis Sacramentum?* Omnis & solus baptizatus, scemina, puer, infans, amens, è vita discussurus.

§. 2. *Suscipiens Confirmationem.*  
 11. *Quanam suscipiendi obligatio?* Non est necessarium neque necessitate medij, neque necessitate præcepti. Unde non peccat mortaliter, secluso contemptu, vel alia circumstantia, qui Confirmationem sponte omittit. Scio *Fillium* asseruisse olim ob frequentes contra fidem persecutiones adfuisse præceptum diuinum obligans semel in vita ad eam recipiendam, & eascessantibus expirasse, vel contraria confluente abrogatum esse.

§. 3. *Effectus Confirmationis.*  
 12. *Effectus denique Confirmationis indica.* Primus ac præcipuus est gratia, quæ eam, quam in Baptismo recepimus confirmat, & roborat, unde, vt innui, sua natura gratiam aliam quam in suscipiente supponit. Addit etiam propriam Sacramentalem gratiam qua fidelis specialem Spiritus sancti protectionem ad fidei confessionem coram persecutoribus accipit. Animam insuper proprio quodam caractere consignat tantò Baptismi signaculo perfectiore, quanto est Sacramentum ipsum illo perfectius.

## CAPVT IV.

*Praxis circa materiam de Confirmatione ex Societatis IESV Doctoribus.*

§. 1. *De Confirmationis Ministro.*  
 13. *Scio, Ministrum Confirmationis esse Episcopum: potestne simplex Sacerdos aliquando?* Aliqui affirmant, alij negant apud Fernandez p. 3. c. 2. §. 3. n. 3.

14. *Peccat ne Episcopus mortaliter in sua Diocesi alterius subditum confirmando?* Non peccat grauium Doctorum ex placito.

15. *Peccat ne mortaliter confirmando extra Ecclesiam?* Præpositus in 3. p. 9. 71. a. 12. n. 54. asserit non peccare.

§. 2. *De subiecto Confirmationis.*  
 16. *Homo baptizatus subiectum Confirmationis est: potestne infans confirmari?* Consuetudo repugnat, *Valentia* negot. tom. 4. d. 5. q. 2. de Conf. part. 4. At *Hurtado Complut. de Conf. diffic. 10.* ait, non esse prohibitum infantes etiam sine causa confirmari. Assero cum *Laymano lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 2.* plures casus esse in quibus licet infantem confirmare, v. g. si manifestè discurrat. Si post illam opportunitatem non facile possit postea confirmari. Si sit Principis filius. Si talis in Diocesi vigeat consuetudo. Præter hosce casus, & mortis articulum, in quo (si commodè fieri posset) confirmari debet.